

cut duratio cuiuslibet rei est: accidens eius, quod solum impenitentia dicere videtur, (1) ut scilicet in peccatum usque ad mortem duret. Ergo impenitentia non est aliqua species peccati.

4. Præterea. Præteritum, & futurum non diversificant speciem. Sed impenitentia, & obstinatio non differunt, nisi secundum præteritum, & futurum: quia impenitentia est ex hoc quod de præteritis commissis homo non pœnitet; obstinatio autem est in hoc quod futuris commitendis firmiter proposito inhaeret. Ergo impenitentia, & obstinatio non sunt duæ species peccati in Spiritum Sanctum.

5. Præterea. Veritas appropriatur Filio, qui dicit Joan. xiv. 6. Ego sum via, veritas, & vita. Sed peccatum in Filium est, quod est contra appropriatum Filii. Ergo impugnatio veritatis non est peccatum in Spiritum Sanctum, sed in Filium.

6. Præterea. Invidia est usum capitale vitiorum, ut supra dictum est, dist. xlii. art. 3. & non est gravius inter ea. Sed alia peccata capitalia non ponuntur species peccati in Spiritum Sanctum. Ergo nec invidia fraternæ gratiæ debet peccatum in Spiritum Sanctum dici.

7. Præterea. Oppositorum generum diversa sunt species. Sed peccatum in Spiritum Sanctum, quod est ex certa malitia, ex opposito dividitur contra peccatum in Patrem, vel Filium, quod est ex infirmitate, vel ex ignorantia. Cum igitur quodlibet peccatum prædictorum, ut desperatio, præsumptio, & huiusmodi, possit ex infirmitate, vel ex ignorantia accidere; videtur quod non convenienter assignetur species peccati in Spiritum Sanctum.

8. Præterea. Aliquis non peccat ex electione, prout peccatum in Spiritum Sanctum ex electione dicitur, nisi removeantur omnia quæ à peccato retrahere possunt: (2) quolibet enim retrahente manente peccatum non eligitur. Sed omnia retrahentia à peccato non tolluntur, nisi per omnia sex enumerata. Ergo nullum istorum sex per se sumptum est species peccati in Spiritum Sanctum; sed simul accepta per modum partium integralium faciunt unum peccatum in Spiritum Sanctum.

In contrarium est quod in littera determinatur per auctoritates Sanctorum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est, in corp. præc. art. peccatum in Spiritum Sanctum, proprie loquendo, secundum quod est determinatum genus peccati, consistit in actu voluntatis abficientis: id est per quod aliquis à peccato retrahitur. Contingit autem hoc dupliciter. Retrahitur enim aliquis à peccato, & operatur bonum propter se, & aliquis propter aliud. Propter aliud autem dupliciter: vel ad vitanda supplicia, vel ad consequenda præmia: & neutrum virtuosum est, qui bonum propter se operatur, & malum propter se fugit. & hæc duo tolluntur per præsumptionem, quæ privatur timorem suppliciorum; & per desperationem, quæ tollit spem præmiorum. Propter se (3) autem aliquis operatur bonum, vel fugit malum, quando movetur principaliter ex aliquo quod in ipsa actu virtutis, vel peccati est. Hoc autem est dupliciter. Aliquid enim potest considerari in actu virtutis, vel vitii, ut est

(1) Al. ut in peccatum. (2) Al. quodlibet retrahere manente. (3) Al. enim (4) Al. deest, enim, Nicolai. uno modo prout est virtus specialis, & dicit &c. & sic infra.

quoddam humanum bonum, & aliquid ut est quoddam divinum. Si ergo consideretur actus peccati ex parte eius quod est humanum in actu, sic duo possunt ibi esse, scilicet delectatio indebita, & deformitas actus; & ex utroque aliquis à peccato retrahitur: & secundum hoc sunt duæ species peccati in Spiritum Sanctum, scilicet obstinatio, & impenitentia: quia per obstinationem aliquis firmiter adhæret delectationi, ac si non esset incompetens; per impenitentiam autem non vitat deformitatem quæ est in actu; quæ erat ratio pœnitendi. Divinum autem in actu virtutis, quod est veritas à peccato retrahit, est duplex: unum scilicet etiam quasi reahitens, & aliud sicut inclinans, scilicet ipsa gratia per Spiritum Sanctum in Ecclesiam diffusa; contra primum est impugnatio veritatis agnita, contra secundum invidentia fraternæ gratiæ.

Quidam autem sic accipiunt distinctionem harum specierum: dicunt enim, quod peccatum in Spiritum Sanctum opponitur specialiter gratiæ pœnitentiæ, per quam fit remissio peccatorum. Ad remissionem autem peccati quædam exiguntur ex parte remittentis, quædam ex parte eius cui remittitur, & quædam ex parte eius per quod fit remissio. Ex parte remittentis concurrunt duo; scilicet misericordia, & contra hoc est desperatio; & iustitia, & contra hoc est præsumptio: ex parte eius etiam cui remittuntur, duo; scilicet propositum non peccandi, contra quod est obstinatio; & dolor de commissis, contra quod est impenitentia; ex parte eius per quod fit remissio, duo; scilicet fides Ecclesiæ, contra quam est impugnatio veritatis agnita, & gratia quæ datur in sacramentis, contra quam est invidentia fraternæ gratiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod desperatio, secundum quod est species peccati in Spiritum Sanctum, non provenit ex hoc quod aliquis neget remissionem peccatorum; sed quia remissionem peccatorum, quam fieri credit, ut liberius vacet peccatis, sponte a se abijcit, dum non vult tendere in hoc quod remissionem peccatorum consequatur.

Ad secundum dicendum, quod præsumptiosus non peccat ex hoc quod Dei misericordiam nimis magnam arbitretur, sed quia iustitiam eius contemnit; & in hoc etiam misericordiam derogat, abutens ea, ac si non esset iusta.

Ad tertium dicendum, quod sicut perseverantia dicitur dupliciter: uno (4) enim modo est virtus specialis, prout dicit propositum perseverandi in bono incepto usque ad finem: & alio modo est circumstantia aliarum virtutum, prout dicit actualem durationem in actibus virtutum usque ad mortem: ita etiam & impenitentia, secundum quod dicit propositum non pœnitendi, est species peccati in Spiritum Sanctum; secundum autem quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati pœnitentiam, sic est accidens, vel circumstantia aliorum peccatorum.

Ad quartum dicendum, quod obstinatio, & impenitentia non differunt secundum præteritum, & futurum: potest enim aliquis dici impenitens qui proponit etiam de peccatis quæ faciet, non pœnitere, sed differunt secundum diversa quæ in peccato attenduntur, quæ respondent eis quasi objecta, ut in prima assignatione dictum est.

Ad quintum dicendum est, quod veritas, &

(1) Al. ut in peccatum. (2) Al. quodlibet retrahere manente. (3) Al. enim (4) Al. deest, enim, Nicolai. uno modo prout est virtus specialis, & dicit &c. & sic infra.

pietia, & huiusmodi, possunt dupliciter considerari; vel secundum propriam rationem, & sic appropriantur Filio; vel secundum quod habent rationem doni, & secundum hoc appropriantur Spiritui Sancto, qui est primum donum, in quo omnia dona donantur, ut in Libro I. dist. xviii. dictum est: & ita aliquis impugnans veritatem agnitam ex certa malitia, in Spiritum Sanctum peccat.

Ad sextum dicendum, quod invidia potest esse duplex: quædam quæ est de prosperitate, vel exaltatione hominis; & quædam quæ est de exaltatione gratiæ, sicut quod multi ad Dei gratiam, convertuntur, vel aliquid huiusmodi: & talis invidia solum est peccatum in Spiritum Sanctum; non quidem invidia fratris, sed invidia fraternæ gratiæ.

Ad septimum dicendum, quod quodlibet istorum quæ dicta sunt, potest dupliciter accidere. Uno modo ex hoc quod per se voluntas tendit in unumquodque ipsorum, ut quia aliquis non vult habere spem de futuris præmiis, aut non vult veritati notæ assentire, & sic de aliis: & hæc tantummodo sunt species peccati in Spiritum Sanctum: quia sic, per se loquendo, est desperatio, vel præsumptio: & sic de aliis, quando voluntas per se in actum desperationis labitur. Secundo potest accidere ex aliquo exteriori, ut propter defectum rationis regentis, vel propter aliquem imperium alicujus impellentis, sicut quando per infirmitatem, vel ignorantiam aguntur; & sic non sunt species peccati in Spiritum Sanctum: quia sic non est dicendum aliquis desperatus per se, sed per accidens.

Ad octavum dicendum, quod quamvis multa sint quæ à peccato retrahere possunt, secundum quæ distinctæ sunt species peccati in Spiritum Sanctum: tamen aliquis propter unum illorum tantum à peccato retrahitur, & alius propter alium: & ideo non oportet ut omnia semper concurrant ad hoc quod sit peccatum in Spiritum Sanctum.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit irremissibile.

1. 2. quæst. iiii. art. 16. & de malo quæst. iiii. art. 15. & quodl. ii. cap. xv.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod peccatum in Spiritum Sanctum non sit irremissibile. Remissio enim peccati fit per gratiam. Sed ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia: Rom. v. 20. Cum ergo peccatum in Spiritum Sanctum sit gravissimum, videtur quod maxime sit remissibile.

2. Præterea. Charitas est perfectior spe, & fides prior ea. Sed peccatum oppositum fidei, scilicet infidelitas, & oppositum charitati, scilicet odium, sunt remissibilia. Ergo & desperatio, quæ opponitur spei, est remissibilis, & eadem ratione aliæ species peccati in Spiritum Sanctum.

3. Præterea. Quatuor dicuntur in nobis, sicut pœnalitates ex peccato primi hominis, provenisse, scilicet ignorantia, infirmitas, concupiscentia, & malitia. Sed infirmitas, & ignorantia excusando peccatum, remissibile ipsum reddunt. Ergo & eadem ratione, malitia; & ita peccatum in Spiritum Sanctum, quod est ex certa malitia, remissibile erit.

4. Præterea. In hoc dicitur homo ab Angelo differre quod homo habet veritabilitatem electionis mutabilem, Angelus vero immutabilem, quia ab eo quod semel eligit, numquam removetur. Sed peccatum in Spiritum Sanctum est peccatum hominis. Ergo si homo per electionem in ipsum consentiat, iterum potest hanc electionem mutare, & ab eo discedere. Sed peccatum remittitur per hoc quod ab eo receditur. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum est remissibile.

In II. Sent. Tom. II.

catum in Spiritum Sanctum est peccatum hominis. Ergo si homo per electionem in ipsum consentiat, iterum potest hanc electionem mutare, & ab eo discedere. Sed peccatum remittitur per hoc quod ab eo receditur. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum est remissibile.

5. Præterea. Irremissibile tollit potentiam remissionis. Cum ergo dicitur peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, aut negatur potentia remissionis ex parte remittentis, aut ex parte eius cui fit remissio. Non primo modo: quia potentia ipsius Dei, qui solus peccata dimittit, est infinita, ad omnium peccatorum remissionem se extendens. Similiter nec secundo modo: quia potentia ad remissionem ex parte eius cui fit remissio, est liberum arbitrium in statu viæ existens, quod etiam post peccatum in Spiritum Sanctum manet. Ergo peccatum in Spiritum Sanctum nullo modo est irremissibile.

In contrarium sunt auctoritates quæ in littera adducuntur.

Præterea. Peccatum virtuti opponitur. Sed de virtute perfectissima, scilicet charitate, dicitur I. Corinth. 13. quod numquam excidit, quamvis multi eam amittant. Ergo & peccatum in Spiritum Sanctum, quod est gravissimum peccatum, debet dici irremissibile, etsi quandoque remittatur.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod de peccato in Spiritum Sanctum duplex est opinio, ut ex littera colligi potest.

Quidam enim accipientes impenitentiam, prout est circumstantia peccati, ut dictum est, assignant quatuor species peccati in Spiritum Sanctum: quæ scilicet supra in peccato impenitentiam continentur sunt; & dicunt quod nulla illarum specierum habet complete rationem peccati in Spiritum Sanctum, nisi secundum quod adjungitur ei hæc circumstantia, ut scilicet usque ad mortem in desperatione, vel obstinatione perdurent; & secundum hoc dicitur peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile, quia numquam remittitur, vel remitti potest: quia post mortem homo confirmatur in gratia, vel in peccato, secundum quod fuit in statu mortis suæ; ut dicitur Ecclesiastici xi. 3. Lignum: . . . in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Sed istud non videtur esse conveniens: quia secundum hoc, omne peccatum quod usque ad mortem perdurat, irremissibile est, sive sit in Patrem, sive in Filium: & ita peccatum in Spiritum Sanctum non esset alio modo irremissibile quam peccatum in Patrem, vel Filium: quod est contra textum Evangelii. Nisi forte diceretur, quod omne peccatum in Patrem, vel in Filium, est peccatum veniale: quia Gregorius dicit in IV. Dialog. (cap. xxxix.) peccata venialia etiam post hanc vitam remitti. Sed hoc est expresse falsum: quia ignorantia non sic semper excusat peccatum ut non sit damnabile, sed ut sit minus damnabile.

Et ideo alii dicunt, quod impenitentia, quæ dicit continuam durationem peccati usque ad mortem, non est necessaria ad hoc quod sit peccatum in Spiritum Sanctum, quia etiam uno solo motu voluntatis potest homo in Spiritum Sanctum peccare, sicut & in cæteris peccatis contingit: & secundum hos assignantur species peccati in Spiritum Sanctum sex, sicut dictum est: secundum hos autem oportet dicere, quod peccatum in Spiritum Sanctum non dicitur irremissibile, quia numquam remittatur, sed

quia non habet de se aptitudinem ad hoc quod remissibile sit; & hoc precipue propter tres causas. Una est ex causa movente ad peccandum: quandoque enim infirmitas, (1) vel ignorantia eius qui peccat, peccatum causant, quæ nata sunt peccatum excusare in parte, vel in toto, propter hoc quod involuntarium causant vel simpliciter, vel secundum quid: & tunc peccatum remissibile dicitur, quod habet in se unde facile remittatur, propter hoc quod ex causa excusante procedit. Peccatum autem quod ex industria fit, nullam rationem excusationis habet: & ideo dicitur irremissibile, quia non habet in se unde excusetur, & propter hoc ad remittendum sit facile. Secunda est ratio sumpta ex modo inclinationis voluntatis in peccatum: quia, ut Philosophus dicit in VII. Ethic. (cap. VIII.) finis in operabilibus est sicut principium indemonstrabile in speculativis. Error autem in speculativis, qui est circa principia indemonstrabilia, difficile removeri potest, eo quod non possunt accipi aliqua magis nota, per quæ error improbetur. Ita etiam in practicis, quando aliquis alicui peccato ut fini adhæret, quasi in eo suam beatitudinem constituit, non potest tali peccato de facili remedium adhiberi: quia nihil est aliud magis à peccante dilectum, propter cuius consecutionem hoc in quo ultimum finem ponit, dimittat. Quicumque autem ex electione peccat, vel ex industria, adhæret peccato quod eligit, quasi per se bono, & sic fini: & ideo tale peccatum non de facili medicinam recipit: unde Philosophus in VII. Ethic. (ubi supra) per hoc ostendit quod incontinentes, quia ex passione peccant, sive infirmitate, facilius curantur quam intemperati, qui peccant ex electione, sive ex industria. Et hæc duæ prædictæ causæ ostendunt causam irremissibilitatis non solum in peccato quod proprie dicitur in Spiritum Sanctum, sed etiam in quolibet peccato quod est ex electione. Tertia autem causa quæ proprie peccatum in Spiritum Sanctum respicit: sumitur ex eius objecto: quia peccatum in Spiritum Sanctum est ex hoc quod voluntas à se repellit id per quod remissio peccatorum fit. Unde sicut ægrotudo diceretur incurabilis quæ fastidium medicinæ faceret, ita & peccatum irremissibile dicitur per cuius actum spiritualis medicina directe repellitur: & tamen sicut ille morbus corporalis virtute divina miraculose curari potest; ita & huiusmodi peccatum per misericordiam divinam quasi miraculose remitti potest.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum in Spiritum Sanctum præcludit viam gratiæ, & ideo peccato in Spiritum Sanctum manente ex parte ipsius peccantis non remanet facultas ad gratiam; sed remoto isto peccato per immensitatem divinæ misericordiæ potest postmodum esse gratiæ abundantia; si homo maxime humilietur propter gravitatem præcedentis peccati.

Ad secundum dicendum, quod spes directe est eorum in quæ sicut in ultimum finem tendimus: & ideo remotio spei tollit finem, & ideo desperatio est irremissibile peccatum, sicut & error principiorum est insanabilis. Caritas autem non tantum est finis, sed & eorum quæ sunt ad finem, scilicet proximorum: & ideo si peccatur contra charitatem proximi, non tamen propter hoc directe pec-

(1) Al. vel ignorantia ad peccandum, (2) Al. director. (3) Al. omne peccatum in Spiritum Sanctum, in quo via finitur. (4) Al. excipitur. (5) Al. dictionem.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Immo potius de gradibus humilitatis quo ad priorem partem, ut & quoad posteriorem serm. 1. de B. Andrea.

catur contra charitatem Dei; unde ex parte illa manet via ad curationem. Si autem directe contra charitatem Dei peccatur, prout est (2) directio finis, sic irremissibile peccatum erit in Spiritum Sanctum, & hoc est quando quis invidet gratiæ, qua etiam reconciliatus est. Similiter etiam dicendum de fide, quia infidelitas potest procedere vel ex ignorantia, & sic habet pallium excusationis, & facile remittitur; vel ex certa malitia: & sic est peccatum in Spiritum Sanctum, quod est impugnatio veritatis agnitæ.

Ad tertium dicendum, quod malitia non causat involuntarium, sicut infirmitas, & ignorantia: & ideo non oportet quod peccatum excuset, vel alleviet, sicut illa faciunt. Vel dicendum, quod malitia ex qua peccatum quod in Spiritum Sanctum dicitur, procedit, nominat quemdam actum peccati, ut actum desperationis, vel obstinationis, & huiusmodi; & non sumitur secundum quod est poena, prout dicit defectum quemdam rationalis animæ secundum quem in malum facile inclinabilis est.

Ad quartum dicendum, quod peccatum aliquod potest esse irremissibile dupliciter: vel ex genere peccati, & sic peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile dicitur; vel ex statu peccantis, & sic (3) omne peccatum in quo vita finitur, est irremissibile, sive sit hominis, sive Angeli; & secundum hoc (4) accipitur differentia hominis, & angeli: quia status viæ in Angelis finitur statim post primam (5) electionem; non autem sic est in hominibus.

Ad quintum dicendum, quod cum dicitur peccatum irremissibile, non privatur potentia absolute ad remissionem, sed magis aptitudo, vel facilitas quædam.

ARTICULUS V.

Utrum aliquis possit peccare in Spiritum Sanctum in primo actu peccati.

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur quod aliquis in primo actu peccati non possit peccare in Spiritum Sanctum, sed quod hoc peccatum præxigat alia peccata. Dicit enim Bernardus in IV. sermone super Cantica: (a) *Nemo repente fit summus; sed paulatim proficere volo.* Ergo è contrario nullus repente fit pessimus. Sed peccatum in Spiritum Sanctum est gravissimum. Ergo non statim aliquis hoc peccato potest peccare.

2. Præterea Gregor. in Moralibus (Lib. XXXI. cap. XVII.) exponens illud Job XXXIX. *Clamorem dum &c.* dicit, quod vitia quæ primo mentem invadunt, cum quadam ratione hominem, quasi persuadendo, ad modum ducis vincunt; sed postmodum mens per diversa vitia irrationabiliter dissipatur. Sed peccatum in Spiritum Sanctum est maxime à persuasionem rationis recedens. Ergo non potest esse primum; sed oportet quod sequatur alia peccata.

3. Præterea Philosophus dicit in V. Ethic. (cap. 1.) quod non est in potestate hominis ut statim injusta operetur, sicut injustus facit. Sed injustus operatur injusta delectabiliter, & ex electione. Ergo non est in potestate hominis ut statim, & ex electione peccatum faciat. Quicumque autem peccat in Spiritum Sanctum, ex electione peccat. Ergo &c.

4. Præterea. Sicut spei opponitur desperatio, ita me-

meritis opponuntur demerita. Sed spes præsupponit merita: est enim spes certa expectatio futuræ beatitudinis ex meritis, & gratia proveniens. Ergo & desperatio præsupponit demerita; & sic saltem hæc species peccati in Spiritum Sanctum oportet quod ad alia peccata sequatur.

5. Præterea. Pœnitentia, & impœnitentia, cum sint opposita, sunt circa idem. Sed pœnitentia est dolor de commissis. Ergo & impœnitentia aliqua peccata commissa præsupponit.

Sed contra. Peccatorum quæ habent actus distinctos, unum ad sui esse alterum non præsupponit. Sed peccatum in Spiritum Sanctum habet actum ab aliis peccatis distinctum, qui est abjicere id per quod quis à peccato retrahitur, ut dictum est (in corp. art. 2.) Ergo non de necessitate alia peccata præsupponit.

Præterea. Peccatum in Spiritum Sanctum consistit in hoc quod voluntas rejicit id per quod à peccato retrahi deberet. Sed voluntas se habet ad utrumque oppositorum. Ergo potest homo statim in Spiritum Sanctum peccare, vel non peccare.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (dist. XLII. art. 3. in corp.) in peccatis quorum unum dicitur ex altero nasci, non consideratur quid semper fiat, sed quid in pluribus contingat, propter quamdam aptitudinem quam habet unum peccatum quod ex alio frequenter oritur; sicut fraus assignatur filia avaritiæ, quæ tamen potest ex luxuria, vel ex alio vitio oriri, quamvis ex avaritiâ sæpius oriarur. Illud autem peccatum habet aptitudinem ut ex eo aliud oriarur, cuius objectum est vehementius appetibile, ut supra dictum est. Hoc autem est quod habet majorem apparentiam boni. Unde illud peccatum cuius objectum maxime recedit à ratione boni, minime potest esse primum; sed quasi semper, vel frequentius ex alio oritur: & tale est peccatum in Spiritum Sanctum, prout speciale peccatum ponitur: & ideo, ut sæpius, & quasi semper sequitur ad alia peccata; non tamen ita (1) quin sit possibile ut etiam homo in primo actu peccati in Spiritum Sanctum peccet, & præcipue in duabus ultimis speciebus, scilicet (2) impugnacione veritatis agnitæ, & invidia gratiæ qua reconciliati sumus: quia istæ species majorem videntur habere distinctionem ab aliis peccatis. Sed tamen hoc etiam contingit in aliis speciebus, si diligenter consideretur. Potest enim aliquis statim, inspectis diversorum hominum statibus, abjicere spem futuræ gloriæ, propter difficultatem perveniendi ad ipsam, & propter delectationes eorum qui de ea non curant; & similiter in hoc animum suum firmare ut suam voluntatem in omnibus sequatur, quod est obstinationis; & sic de aliis.

Ad primum ergo dicendum, quod non est simile de profectu virtutis, & de casu in peccatum; quia plura requiruntur ad actum virtutis quam ad actum peccati: & ad actum virtutis erigitur homo per gratiam; sed in actum peccati per seipsum quis cadere potest.

Ad secundum dicendum, quod Gregorius ibi assignans origines vitiorum, considerat id quod sæpius accidit, non quin aliter possit accidere: hoc enim ad Moralem pertinet, & etiam ad Naturalem: quia causæ naturales, & multo plures morales deficiunt in minori parte, quia non sunt necessariae.

(1) Al. quod. Forte etiam quod sit impossibile. (2) Al. impugnatio.

Ad tertium dicendum, quod peccatum in Spiritum Sanctum, ut supra dictum est, hoc modo ex electione sicut habens habitum ex electione peccatum: mo per actus peccati in Spiritum Sanctum præcedentes habitum aliquis habitus acquiritur: & ideo objectio non procedit; quia injustus ex electione peccati sicut habens habitum.

Ad quartum dicendum, quod spes non semper præxigit merita in actu, sed solum in proposito sperantis: similiter etiam & desperatio non oportet quod præsupponat aliqua demerita præcedentia in actu.

Ad quintum dicendum, quod pœnitentia, secundum quod dicit actum, non est nisi de malis præteritis; sed secundum quod dicit habitum, quo quis dicitur pœnitens, non exigitur quod aliqua peccata commiserit; sed quod habeat hoc propositum, ut si contingeret ipsum peccare, statim pœnitere. Ita etiam ad rationem impœnitentiæ sufficit ut aliquis nunquam pœniteat de peccatis, si qua commiserit.

ARTICULUS VI.

Utrum Adam peccaverit in Spiritum Sanctum.

2. 2. quæst. XXVII. art. 7.

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur quod Adam in Spiritum Sanctum peccaverit. Non enim peccavit in Patrem, quia non peccavit ex infirmitate; neque etiam in Filium, quia non ex ignorantia; cum infirmitas, & ignorantia ante peccatum non fuerit. Ergo relinquitur quod peccavit in Spiritum Sanctum.

2. Præterea. Nimia præsumptio de Dei misericordia, est peccatum in Spiritum Sanctum. Sed Adam peccans de Dei misericordia cogitavit, ut Augustinus dicit Lib. XIV. de Civit. Dei cap. XI. & supra dist. XXI. habitum est. Ergo videtur in Spiritum Sanctum peccasse.

3. Contra. Peccavit appetendo scientiam. Sed scientia appropriatur Filio. Ergo magis peccavit in Filium quam in Spiritum Sanctum.

4. Præterea. Augustinus dicit Lib. XI. sup. Gen. ad litt. cap. XLI. quod quamvis Adam non fuerit seductus in hoc in quo mulier, tamen in hoc seductus est quod credidit veniale quod mortale erat. Sed peccatum quod est ex seductione, est peccatum in Filium. Ergo peccavit in Filium.

5. Item. Videtur quod primus angelus in Spiritum Sanctum peccaverit. Irremissibilitas enim est proprietas peccati in Spiritum Sanctum. Sed peccatum primi angeli fuit irremissibile. Ergo fuit in Spiritum Sanctum.

6. Præterea. Eodem genere peccati, quo tunc peccavit diabolus, etiam nunc peccat. Sed nunc peccat in Spiritum Sanctum, quia invidet gratiæ quæ in Sanctis operatur. Ergo & tunc in Spiritum Sanctum peccavit.

7. Sed contra. Peccatum primi angeli fuit ex hoc quod potentiam inordinate appetit. Sed potentia appropriatur Patri. Ergo peccavit in Patrem.

8. Præterea. Pœna non præcedit culpam. Sed malitia computatur inter pœnas peccati. Ergo ex malitia non potuit esse primi angeli primum peccatum, quod nullum peccatum præcesserat.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod peccatum primi hominis, & peccatum dæmonis non fuit neque in Patrem, neque in Filium, neque in Spiritum Sanctum: hæ enim non sunt differentie peccati absolute accepti, sed peccati quod contingit in natura corrupta. Infirmas enim, & ignorantia, & malitia, ex peccato naturam corruptam consequuntur. Sed sciendum, quod quamvis infirmitas nullo modo in natura integra inveniri possit, & ita nec peccatum in Patrem; tamen ignorantia aliquo modo in natura integra inveniri potuit, non secundum quod ignorantia dicitur privative, sed secundum quod dicitur negative: sic enim est defectus consequens intellectum creatum, in quantum creatus est: ex hoc enim deficit à perfecto lumine intellectus increati, ut non omnia sciat, vel saltem non omnia actu consideret; & ex tali nescientia peccatum proveniens, peccatum in Filium dici potest. Et similiter etiam malitia ex qua peccatum in Spiritum Sanctum procedit, non oportet quod sit poena, sed est aliquis actus peccati, ut supra dictum est: unde & in natura integra potuit esse peccatum in Filium, & in Spiritum Sanctum. Sciendum tamen, quod primus actus peccati primi hominis, & Angeli non fuit in Spiritum Sanctum, prout peccatum in Spiritum Sanctum est speciale peccatum: quod patet ex ipso objecto peccati: uterque enim peccavit, altitudinem propriam appetendo. Et ideo quantum ad genus peccati fuit peccatum superbia; sed quantum ad circumstantiam peccati utrumque fuit peccatum in Filium: quia uterque peccavit ex hoc quod non consideravit ea quæ consideranda erant ad evitacionem peccati; non autem fuit peccatum primum eorum ex hoc quod propria voluntate repugnarent spei, vel alicui huiusmodi, sicut fit in peccato in Spiritum Sanctum.

Ad primum ergo patet responsio per ea quæ dicta sunt.

Ad secundum dicendum, quod quamvis Adam peccans cogitaret de Dei misericordia, non tamen peccavit peccato presumptionis, quia non cogitavit se misericordiam consequi sine poenitentia; sed simul de misericordia, & de poenitentia cogitavit, ut Augustinus ibidem dicit.

Alia duo concedimus; quamvis primum eorum non recte concludatur, ut post dicitur.

Ad quintum dicendum, quod peccatum angeli non habuit irremissibilitatem ex genere peccati; sed magis ex statu peccantis, ut supra dictum est: & ideo ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod ad primum actum peccati in angelo, qui fuit actus superbiae, consecutæ sunt multæ aliæ deformitates peccatorum, ut invidia, odium, & huiusmodi; & inter illa potuit esse peccatum in Spiritum Sanctum.

DISTINCTIO XLIV.

De potentia peccandi, an sit homini, vel diabolo à Deo.

Post prædicta, consideratione dignum occurrit, utrum peccandi potentia sit nobis à Deo, vel à nobis. Putant quidam, potentiam recte agendi nobis esse à Deo; potentiam vero peccandi non à Deo.

(1) Vide art. 1. in argumento, Sed contr.

Ad septimum dicendum, quod peccatum in Patrem non dicitur ex objecto, sed potius ex causa: & ideo quamvis potentiam appetierit, non sequitur quod in Patrem peccaverit, quia non ex infirmitate peccavit. Unde & ratio illi similis, per quam ostendebatur quod homo primus in Filium peccaverit, non concludebat.

Ad octavum dicendum, quod malitia, ex qua peccatum in Spiritum Sanctum esse dicitur, non oportet ut sit poena peccati, ut dictum est: & ideo ratio non procedit, quamvis conclusio sit vera.

EXPOSITIO TEXTUS.

Neque hic, neque in futuro. Hoc ideo dicitur, quia quædam peccata in futuro etiam dimittuntur, sicut venialia quædam, ut Gregorius dicit Dial. IV. cap. xxxix. non solum quantum ad poenam, sed etiam quantum ad culpam.

Non pro eo dico ut quis oret. Si peccatum ad mortem intelligatur peccatum in Spiritum Sanctum, prout peccatum in Spiritum Sanctum requirit finalem impoenitentiam, secundum unam opinionem; sic intelligendum est, ut nullus pro talibus oret: quia quis usque ad mortem in peccato mortali perdurat, postmodum orationibus non juvat. Si autem sumatur pro peccato in Spiritum Sanctum, secundum aliam opinionem, prout non requirit finalem impoenitentiam; sic intelligendum est, ut non oret pro eo quis, id est quicumque: quia talium conversio miraculosa est. Unde sicut pro faciendis miraculis non quilibet orat, sed magni, & Sancti viri; ita nec pro talium conversione. Tamen secundum formam verborum non prohibetur oratio pro eo fieri; sed ostenditur quod præceptum de orando pro proximis fidelibus non se extendit ad tales peccatores: quia propter sui peccati enormitatem hoc merentur ut à fidelibus relinquuntur, sicut Ethnicis, & Publicanis.

Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque hic, neque in futuro (1) Glossa ibidem dicit, scilicet Matth. xxi. quod blasphemia remittitur, spiritus autem blasphemie non remittitur. Blasphemia enim nominat ipsum peccati genus absolute: quod contingit quandoque ex infirmitate, sicut cum quis ex iræ passione blasphemat; quandoque etiam ex ignorantia, sicut in his qui errant, male de Deo sentientes. Sed spiritus blasphemie est voluntas blasphemandi, quando scilicet ex certa malitia blasphematur: & tunc est peccatum in Spiritum Sanctum.

Discuti oportet, an aliud obstinatio, aliud impoenitentia sit peccatum. Huius questionis apparet solutio secundum distinctionem impoenitentia prius positam. Si enim impoenitentia sumatur pro actuali duratione in obstinatione usque ad mortem, non est aliud peccatum ab obstinatione, sed circumstantia ejus; si autem impoenitentia sumatur, prout dicit propositum non poenitendi, sic est aliud peccatum.

Deo, sed à nobis, vel à diabolo esse; sicut mala voluntas non à Deo nobis est, sed à nobis, & à diabolo; bona autem nobis à Deo tantum est. Bonæ autem voluntatis, & cognitionis initium, non homini ex seipso nasci, sed divinitus parari, & tribui, in eo Deus evidenter ostendit, quia nec diabolus, nec aliquis angelorum ejus, ex quo in hanc caliginem sunt detrusi, bonam potuit, vel poterit resumere voluntatem: quia si possibile foret ut humana natura postquam à Deo aversa, bonitatem perdidit voluntatis, ex se ipsa rursus eam habere potuisset; multo possibilis hoc natura haberet angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hæc esset prædita facultate. Non igitur homo, vel angelus, à se bonam voluntatem habere potest, sed malam. Similiter & de potentia, inquit, per similitudinem voluntatis de potentia boni, vel mali disserentes, quod illa sit à Deo, non ista.

Auctoritatibus astruit, potentiam peccandi esse à Deo.

SED pluribus Sanctorum testimoniis indubitanter monstratur, quod potestas mali à Deo est, à quo est omnis potestas: ait enim Apostolus ad Rom. xiii. 1. Non est potestas, nisi à Deo: quod non de potestate boni tantum, sed & mali intelligi oportet; cum Pilato etiam Veritas dicat Joan. xix. 11. Non haberes in me potestatem, nisi datum esset tibi desuper. Malitia nempe hominum, ut ait Augustinus (a), cupiditatem nocendi per se habet; potestatem autem, si ille non dat, non habet. Ideoque diabolus, ante quam aliquid tolleret Job, dicebat Domino Job. 11. 5. Mitte manum tuam; id est, per potestatem: quia etiam nocentium potestas non est nisi à Deo, sicut Sapientia ait Proverb. viii. 15. Per me regnant Reges; (1) & tyranni per me tenent terram. Unde ait Job de Domino cap. xxxiv. 30. Qui facit regnare hypocritam propter (2) peccata populi: & de populo Israel dicit Deus Osee xiii. 11. (3) Dedi eis Regem in ira mea. Nocendi enim voluntas potest esse ab hominis animo; potestas autem non nisi à Deo: & hoc addita, apraque iustitia. Nam per potestatem diabolo datam justos Deus facit suos. De hoc etiam Gregorius in Moralibus, Lib. XXVI. cap. xix. ait: Tumoris elatio, non potestatis ordo in crimine est. Potentiam Deus tribuit, elationem vero potentia malitia nostræ mentis invenit. Tollamus ergo quod de nostro est: quia non potentia justa, sed actio prava damnatur. His auctoritatibus, aliisque plurimis evidenter ostenditur quod non est potestas boni, vel mali cuicumque (4), nisi à Deo æquo, etsi te lateat aequitas.

An aliquando resistendum sit potestati.

HIC oritur quæstio non transilienda silentio. Dicitur enim supra, quod potestas peccandi, nocendique non est homini, vel diabolo, nisi à Deo. Apostolus autem dicit, Rom. xiii. 2. quod qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Cum ergo diabolo sit potestas mali, Dei ordinatione, ejus potestati non esse resistendum videtur. Sed sciendum est, Apostolum ibi loqui de sæculari potestate, scilicet Rege, & Principe, & huiusmodi; quibus non est resistendum in eis quæ jubet eis Deus exhiberi, scilicet in tributis, & huiusmodi. Si vero Princeps aliquis vel diabolus jusserit aliquid, vel suaserit contra Deum; tunc resistendum est. Unde Augustinus determinans quando resistendum sit potestati (a) in Lib. de natura boni ait: Si illud jubeat potestas quod non debes facere, hic sane contemne potestatem, timendo potestatem majorem. Ipsos humanarum rerum gradus adverte. Si quid jusserit procurator, numquid faciendum est, si contra proconsulem jubeat? Rursus si quid ipse proconsul jubeat, & aliud jubeat Imperator; numquid dubitatur, illo contempto, illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus jubeat; contempto illo, obtemperandum est Deo. Potestati ergo hominis, vel diaboli tunc resistamus, cum aliquid contra Deum suggererit; in quo Dei ordinationi non resistimus, sed obtemperamus. Sic enim præcepit Deus, ut in malis nulli potestati obediamus.

Jam nunc his intelligendis, atque pertractandis quæ ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus, (5) ut de ineffabilibus vel modicum aliquid fari, Deo revelante, valeamus.

DIVISIO TEXTUS.

Determinato de peccato quantum ad actum peccandi, hic determinat de potentia peccandi: & dividitur in partes duas. In prima determinat de potentia peccandi; in secunda continuat se ad sequentem Librum, ibi: Jam nunc his intelligendis, atque pertractandis quæ ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus. Prima dividitur in duas. In prima inquit, utrum potentia peccandi sit à Deo, in secunda determinat de obedientia quæ debetur eis qui potentiam prælationis à Deo habent, ibi: Hic oritur quæstio non transilienda silentio. Circa primum tria facit. Primo movet questionem; secundo narrat opinionem quorundam, ibi:

Putant quidam potentiam recte agendi nobis esse à Deo: potentiam vero peccandi non à Deo, sed à nobis, vel à diabolo esse; tertio determinat veritatem, ibi: Sed pluribus Sanctorum testimoniis indubitanter monstratur quod potestas mali à Deo est.

Hic oritur quæstio non transilienda silentio. Hic inquit de obedientia debita his qui à Deo potestatem habent; & primo movet questionem; secundo solvit, ibi: Sed sciendum est, Apostolum ibi loqui de sæculari potestate.

Jam nunc his intelligendis, atque pertractandis quæ ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus. Hic continuat se ad sequentia; & primo ponit continuationem; & secundo assignat ordinem, ibi: Hic est rationis ordo &c. (6)

QUES.

(1) Vulgata: & legum conditores justa decernunt. (2) Al. perversitatem. (3) Vulgata: Dabo tibi Regem in furore meo. (4) Al. deest nisi. (5) Al. ut ineffabiliter vel modicum aliquid fari Deo revelante, intendamus. (6) In editione Nicolai. Nempe ut qui in primo Libro de inexplicabili mysterio Summe Trinitatis irrefragabiliter.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Nempe in Psalm. xxxi. ad verba vers. 8. Timeat Dominum omnis terra, verbis paulullum immutatis. (b) De verb. Domini serm. viii. non sicut prius de natura boni, indice depravato.